

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 41

Sciatis hoc nostri successores, Mainfredum Salnerium hoc modo in nostrum ius devenisse: Rainardus quidam de villa quam Falgerias dicunt, in Dunensi pago constituta, huius Mainfredi fuerat dominus, et ipse eius fuit colibertus. Is ergo Rainardus hoc nostrum, orationis causa, Maius Monasterium adiens, pro eo quod societatem nostram in capitulo nostro accipere meruit, hunc colibertum pro animabus patris et matris sue Bernardi scilicet et Engelree atque sua, Sancto Martino hac ratione obtulit, ut non solum ipse, verum etiam omnis ex eo nascitura progenies, abbati huius loci debitum reddat obsequium et eorum subiaceat servituti; filium autem Acfridum nomine, ex toto tunc nobis, in ius enim cesserat alterius, dare non potuit, sed que sibi ex eo subpetebat partem condonans, modis omnibus pollicitus est se nos adjuvaturum, quatinus totus, sicut pater eius, noster possit effici. Huius rei firmitate XXV solidos ei dedimus, et Rotbertum fratrem eius, pro eo quod hoc idem auctorizavit, in nostrum, cum eo, pariter beneficium suscepimus; et ut hec donatio firma sit in perpetuum, Hildelma uxor eiusdem Rainardi et Evelina soror eius, pari assensu firmaverunt. Testes autem qui ad hoc videndum fuerunt producti, nomina habent huiusmodi: Arnulfus sartor – Hilduinus sartor – Gualterius Esguaret – Durandus Risellus – Bernardus Burellus – Frodo – Guarinus clericus – Gausfridus presbyter – Gualterius de Loratorio – Mainardus hospitalarius – Andraldus portarius – Drogo pellitarius – Rainaldus pellitarius de Cerniaco – Ebrulfus cellararius – Gualterius de Cappella Guillelmi – Bernardus de Navoil.